

informationem procedat, aut capta informatione in formando iudicio super precum veritate aberret, speciali clausula supra expressa, vult eum ab omni munere aut premio etiam sponso oblato abstinere sub pena excommunicationis latae sententiae; imò si dispensatio fuerit data in forma pauperum, apponitur, quoque: *pœna nulli assis absolutiois & dispensationis per hæc verba: Et nihilominus absolutio & dispensatio huiusmodi à Te faciendæ prædictæ nullius sint roboris vel momenti.*

Speciale autem est in dispensationibus Matrimonialibus, quod apponatur hæc clausula; nam istæ reputantur cæteris dispensationibus graviore; & in eisdem magis imminet periculum ne corrumpatur iudex exequutor, ait Corradus lib. 7. c. 6. n. 11.

VII. Refert ibidem n. 14. respondisse S. Congregationem, quod "pro dispensationibus matrimonialibus non licebat Episcopo live ejus Vicario quidquam recipere, nec ratione sigilli, vel alicujus alterius rei; quapropter Decretum illud, quod solet poni in literis dispensationum Matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmii sponso oblato accipi possit pro illarum executione, ita intelligendum esse, ut neque Ordinarius ipse, nec Vicarius ejus quidquam pro mercede laboris, quem in ea re suscipere, capere possent.

VIII. Itaque per hanc clausulam, *Te de præmissis diligenter informes* prohibet omninò summus Pontifex (inquit Corradus n. 29. Exequutori, ne super narratis velit stare assertioni ipsorum Oratorum contrahentium "Debet in super ipse Delegatus perpendere qualitatem ipsorum testium; nam (uti advertit Corradus n. 3. ut plurimum deponunt per unum eundemque præmeditatum sermonem, cum præcisè verba per ipsos sponso testibus suggeruntur, qui à veritatis tramite sæpe solent deviare... Quia clausula prædicta non ad ornatum litterarum apponitur, ut dicebat quidam Jurisconsultus; sed ut per eam intelligat Delegatus, se debere procedere super hoc cum pede plumbeo: quia tum negotium committitur conscientiae suæ.

IX. Tametsi in hac commissione electa sit industria personæ; neque possit Officialis alteri auctoritatem dispensandi delegare, ut ostendit clausula, *etiam conscientiam oneramus*, examen tamen testium alteri delegari potest, quemadmodum observat Corradus n. 4. sed quia admodum periculosum est hoc examen, huiusmodi examen committi debet alicui viro integerrimæ fidei & bonitatis, ait idem n. 4. 5. monet quoque idem auctor lib. 8. c. 1. n. 9. quia complures sunt Dioceses talis amplitudinis ut non sit facilis accessus ad Officialem Episcopi, consuetudine introductum esse in Curia Ecclesiasticis, ut committatur etiam Parocho Oratorum, ut exequatur dictas litteras, ac etiam juramentum, si opus sit, ab Oratoribus recipiatur: ut contingit, dum dispensatio petita est ob copulam præcedentem.

X. Debet ergo Commissarius inquirere, num preces sive allegata Oratorum in supplica Pontifici pro obtinenda dispensatione oblata veritate nitantur; id est, an expressio impedimentorum super quibus dispensatio petitur, & causa ob quam petitur sint secundum veritatem expressa. Neque enim Commissarius, juxta tenorem Rescripti Apostolici ad dispensationem procedere potest nisi præviâ informatione diligenti repererit, *preces veritate niti.*

Itaque si super impedimento consanguinitatis aut affinitatis postulata sit dispensatio; inquirendum erit, num gradus consanguinitatis aut affinitatis quo sponsi se invicem attingunt, sincerè & veraciter sit expressus; ut hinc appareat, num quoad hanc expressionem preces veritate nitantur; neque ipsum Rescriptum ratione hujus expressionis sub vel obreptionis argui queat.

XI. Si ergo Oratores dixerint, quod se contingant in

tertio consanguinitatis aut affinitatis gradu; deprehendatur autem per informationem ipsos esse in secundo gradu consanguineos aut affines, non poterit Commissarius vi hujus Rescripti procedere ad dispensationem; eò quod reperiat preces veritate non niti.

Neque referret, tametsi ipsi Oratores inculpabiliter ignoraverint se in secundo gradu esse consanguineos: quia similis ignorantia sufficere post, ut Oratores non arguantur de malitiosa expressione & deceptione; sed effice, ut nequit, ut verum sit, *preces veritate niti*; aut censeri debeat dispensatum in impedimento secundi gradus consanguinitatis aut affinitatis: cum super hoc dispensatio nequidem fuerit postulata; sed tantum super impedimento tertii gradus, quod diversum est à priore, præsertim quod quo gradus conjunctior est, eò difficilior sit dispensatio, urgente ratione que causæ requirantur.

XII. Quinimo quamvis impedimentum expressum sit gravius, atque super eò rariùs & difficilius soleat dispensari, quam super eo, quod revera subesset sed expressum non fuit, Rescriptum carebit suo effectu, nec poterit Commissarius procedere, si impedimentum omnium sit diversa speciei ab expresso, nec sub hoc includatur, tametsi etiam sciretur, quod Pontifex fuisset dispensatus si impedimentum omnium fuisset expressum: quia non sufficit, quod Pontifex fuisset dispensatus aut dedisset auctoritatem dispensandi si hoc illudve factum esset; sed requiritur, ut reipsa dispensandi super hoc impedimento auctoritatem dederit.

XIII. Unde licet facilis soleat dispensari in affinitate quam consanguinitate in paritate gradus; nihilominus si expressus sit tertius gradus consanguinitatis, pro tertio gradu affinitatis, subreptitia censetur dispensatio; neque poterit Commissarius dispensare; dicitque Corradus Lib. 7. c. 5. n. 72. quod similes litteras dispensationum perpetuam exequantur; cum totum id sit etiam contra mentem Papæ, ac notorium Curia ipsius stylum.

XIV. Si Oratores expresserint simpliciter secundum aut tertium consanguinitatis gradum subreptitia censetur dispensatio, si deprehendatur, impedimentum illud provenire ex duobus stipitibus; sive quod se contingant in gradu expresso ratione duplicis conjunctiois; quo casu in effectu est duplex impedimentum; cum tamen fuerit expressum tamquam simplex live unum; uti latius exponit Corradus loco citato n. 70.

XV. Docet quoque ibidem num. 94. & sequentibus, quod si per errorem expressus sit secundus gradus consanguinitatis pro tertio, non esse procedendum; idque potissimum ob consuetum modum & stylum Summi Pontificis, nempe quia diversimodè eas dispensationes concedit, ut videlicet, si in remotioribus puta in quarto, seu tertio & quarto gradibus, eas mandat expediri per officium minoris gratiæ; si in non tam remotioribus, puta in tertio, per Cancellariam; si in secundo, seu primo & secundo, per præfecturam Brevis, & sub anno, lo piscatoris, sicut alià diximus, ac propter ea juxta qualitatem graduum præfactorum, diversa officia cum diversis officialibus sunt constituta. Unde cum mens Pontificis ea sit, & litteræ dispensationis non aliàs, quàm per suos Officiales distinctos, distinctaque collegia constituentes expediantur, profectò cum sic inveteratus stylus obtinuerit, si litteræ ipsæ præter dictum stylum ac morem, & observantiam Romanae Curie expediantur, tamquam suspectæ de falso erunt rejiciendæ.

XVI. Insuper si duo intercedant impedimenta, atque super utroque quidem postulata sit dispensatio; sed separatim ac diverso tempore; utraque dispensatio erit subreptitia eò quod utraque dispensatio ita fuerit impetrata ac si unum dumtaxat impedimentum subesset; cum tamen duplex subesset. Duo autem impedimenta simul concurrentia fortius ligant, & difficilioris sunt dissolutionis.

XVII. Si

XVII. Si dictum sit, Oratores se contingere tertio gradu; postmodum autem deprehendatur, quod se contingant secundo & tertio, non poterunt litteræ dispensationis propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem de subreptionis vel obreptionis vicio, seu intentionis defectu notari; sed in omnibus & per omnia susfragari; uti declaravit Pius V. in constitutione quæ incipit *Sanctissimi* 13. in Bull. R. revocata contrariâ declaratione Pii IV. Si tamen expressus esset simpliciter secundus gradus, dum se contingunt in primo & secundo, litteræ haberentur subreptitiae ex dicta constitutione Pii V. eum casum expresse excipientis, addita hac ratione: *Cum in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat.* Vide latius Sanchez lib. 8. Disp. 24. num. 25. ubi etiam ostendit, Matrimonium contractum in vim dispensationis in qua proximior gradus non est expressus (modo non sit primus) esse validum; tametsi *Littera declarativa*, quarum meminit Pius V. non sint obtentæ.

XVIII. Eodem fundamento si dispensatio postulata sit super cognatione spirituali, inquirendum erit, num rectè expressum sit, unde hæc cognatio orta sit, sive proveniat. Si enim subesset *Filiatio* seu quod Oratorum unus alterum de Fonte levasset & tantum esset expressa *Compaternitas*, subreptitia esset dispensatio; eò quod impedimentum ex filiatione proveniens, sit aliud quam proveniens ex compaternitate: multò quoque difficilius in illo, quam in hoc dispensetur; testaturque Corradus Lib. 8. cap. 8. num. 15. Paulum V. semper recusasse dispensare super impedimento *Filiationis* spiritualis. Refert quoque Fagnanus ad Cap. fin. de Cognat. spirit. cum in casu occurrente Congregatio exillimitaret dispensationem annuendam super *Filiatione* spirituali, relatâ ad Gregorium XIII. sententiâ, Sanctitas sua noluit dispensare: subditque Fagnanus: "Et quamvis nonnunquam post tempora Gregorii XIII. dispensatum fuerit ob dotis incompetentiâ cum illius sufficienti augmento; non tamen est judicandum *exemplis*, nec quod aliquando factum est, sed quod fieri debet, est spectandum.

XIX. Hactenus dicta de informatione circa expressionem impedimenti consanguinitatis & affinitatis, observanda quoque circa alia seu dirimentia seu impedientia impedimentum; ut nimirum diligenter se informet Commissarius, num circa expressionem impedimenti *preces veritate nitantur*; nihilque veri omnium, aut falsi expressum sit, quod dispensationem sub vel obreptitiam reddere possit.

XX. Si inter consanguineos, aut affines, vel etiam conjunctos spirituali cognatione copula intercesserit, ea necessario erit exprimenda; aliàs ea omiſsa dispensatio censetur subreptitiè impetrata, uti non semel S. Congregatio declaravit apud Pyrrum Corradum lib. 8. cap. 1. num. 37. qui & addit, id etiam sibi locum vindicare quamvis copula prædicta habita fuerit post litteras dispensationis seu mandati de dispensando obtentæ, non dum à Delegato executioni demandatæ; asseritque eo casu opus esse litteris in forma *perinde valere*, priùsquam ad executionem priorum litterarum Delegatus procedere possit.

CAPUT IV.

De Causis Dispensationis, & Informatione super veritate earum.

1. *Informatio à Delegato instituenda etiam est circa causam dispensationis.*
2. *Plures causæ cum suis formulis in Curia Romana admittuntur.*
3. *Causa ob angustiam loci qua formula exprimitur.*
4. *Formula causæ ob incompetentiâ dotis.*
5. *Eadem causæ cum clausula cum augmento.*
6. *Item cum clausula pro indotata.*

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

7. *De causa vulgo dicta, Pro Oratrice excedente 240 annuum.*
8. *Causa communiter nuncupata Pro Belgis.*
9. *Pro verificatione causarum attendendæ formularum expressiones; harum verò sensus ex stylo Curia Romana.*
10. *Veritas causæ requiritur tempore executionis litterarum.*
11. *Tenor litterarum dispensationis super impedimento cum adjuncta copula, aut familiariore conversatione.*
12. *De causa dispensationis super voto castitatis.*
13. *Quid Delegatus dispensatio imponere debeat?*
14. *Qui vigore hujus dispensationis uxorem duxit, eam mortuâ aliam ducere nequit.*

I. Non tantum circa allegatum impedimentum veritari debet Commissarii informatio; sed etiam circa causam pro obtinenda dispensatione allegatam; utum scilicet, & quoad illam *preces veritate nitantur.*

Ut autem exactior notitia omnium eorum quæ verificari debent, & narratorum veritas habeatur, causas famosiore, & magis ordinariæ, unâ cum suis formulis, quibus juxta stylum Curia Romana proponi consueverunt, proferam, breviterque exponam.

II. Hoc unum prænotandum, plures variasque causas ob quas dispensationes Matrimoniales judicantur indulgendæ, jam pridem in variis Congregationibus hunc in finem habitæ, esse admittas, ac suis specialibus formulis expressas; neque alias præter probatas, nec sub alia expressione seu formula à Curia Romana admitti solere.

III. Prima eaque una ex frequentioribus causis cum quibus conceduntur dispensationes Matrimoniales, præsertim in gradibus consanguinitatis seu affinitatis remotioribus, est *ob Angustiam loci* ait Pyrrus Corradus lib. 7. c. 5. n. 34.

Exprimitur hæc causa sub hac formula. *Quod cum dicta Oratrix in dicto loco, propter illius ANGUSTIAM, virum sibi non consanguineum vel affinem parvi conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt &c.*

Si sint consanguinei in gradibus proximioribus v. g. secundo aut tertio, superior formula non sufficit, sed tunc post verba *nubere nequeat* addenda sequens clausula: *Et si extra dictum locum nubere cogere tur, dos quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum ea virum, cui iuxta status sui conditionem nubere possit, invenire valeret.*

IV. Secunda causa, eaque hodie sat usitata, dicitur *ob incompetentiâ dotis* sequenti formula exprimi solita: *Quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem parvi conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus Orator illam cum dicta minus competente dote, uxorem ducere intendat, cupiunt &c.*

V. Interdum post verba *uxorẽ ducere* additur hæc clausula: *Illis que dotem usque ad quantitatem, secundum dicta Oratricis qualitatem, competenter augere intendat.* Diciturque hæc causa sic expressa: *propter dotem cum augmento, & requiritur hoc augmentum, ut obtineatur dispensatio in quibusdam gradibus proximioribus, puta in secundo & tertio tantum; etiam si hujusmodi gradus duplicentur seu multiplicentur ex diversis stipitibus, quemadmodum monet Pyrrus Corradus lib. 7. cap. 2. num. 37.*

VI. Subinde innotatur hæc causa: *Pro indotata*; & dicitur quod Orator eam sic INDOTATAM ducere; ac usque ad quantitatem, secundum dicta Oratricis qualitatem ex INTEGRO dotare intendat.

Non poterit Commissarius dispensare vigore litterarum cum causa sic expressa, nisi prius re ipsa Oratrix ex integro

U

do-

dotetur, si sit pro indotata; vel augetur, si fuerit. Propter dotem cum Augmento. Solet enim in litteris adijci: *Et postquam dicta Oratrix dos competenter aucta fuerit: vel in causa pro indotata: Postquam dicta Oratrix ex integro dotata fuerit, ut praesertur.*

VII. Tertia causa hodie usitata vocatur, *Pro Oratrice excedente 24. annuum*, exprimiturque hac formula: *Quod dicta Oratrix vigesimum quartum annum & ultra sua aetatis agens habens virum paris conditionis, cui nubere possit non invenit, cupiunt &c.*

Hac causa (ait Corradus loco citato n. 28. passim admittitur pro obtinenda dispensatione in quibuscumque gradibus; nec tamen sufficit super aliquo rem proximioribus puta secundo, seu primo & secundo; & eo magis admittitur, cum magis tempus effluerit ab aetate Oratrix ad contrahendum Matrimonium.

Monet tamen Corradus ibidem n. 37. hanc causam non admitti in muliere vidua, quae velit ad secundas nuptias convolare, sicut docet notoria praxis Curiae Romanae.

VIII. Quarta causa vulgo dicta, *Pro Belgis*, exprimitur his verbis: *Quod cum dicti Oratores Orthodoxae fidei cultores existant, ac Deo dante, sub obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae vivere & mori intendant, & in illis partibus, in quibus multi sunt Heretici, non possunt animos singulorum explorare, & qui Catholicam Religionem vere profiterentur, inter noscere: ac propterea, ne contingat eos eum Hereticis Matrimonium contrahere, cupiunt &c.*

IX. Quae pro veritate causarum praedictis formulis propositarum verificanda sint, ex attenta formularum lectione & consideratione facile potest intelligi. Nequaquam tamen dubitandum, quin multum attendi debeat, quomodo praedictas formulas intelligat Curia Romana; quidque pro verificatione earum requirere soleat. Quamdiu autem de praxi Curiae Romanae certo non constat, tenenda erit proprietate verborum, quibus formulae sunt conceptae. Unde merito monet Corradus; non esse eligendum in Vicarium seu Officialem Episcopi, cui rescripta dispensationum dirigi solent, qui saltem non mediocrem Rescriptorum illorum notitiam habeat, vimque ac efficaciam clausularum noverit.

Indubie convenit pro executione hujusmodi litterarum consulere qui specialiter praxim Curiae Romanae referunt; ac notanter saepe citatum Pyrrum Corradum, qui praxim & stylum illius Curiae non mediocriter calluisse ac sat fideliter retulisse videtur; licet in doctrinalibus parum solidus sit, & ad laxitatem propendat.

X. Hoc commune est omnibus praedictis causis, quod pro verificatione causae requiratur, ut vera sit tempore executionis, sive tempore quo Vicarius seu Officialis auctoritate Apostolica ad dispensationem vigore Rescripti Apostolici procedit; & nisi eo tempore subsit veritas causae, licet subsit tempore supplicationis, aut confecti Rescripti, Commissarius dispensare non poterit, uti late probat Garcias De Beneficiis parte 6. cap. 2. num. 284.

XI. Interdum autem contingit, dispensationem peti, ubi copula carnalis, aut familiarior conversatio inter consanguineos intercessit.

Supplicia pro simili dispensatione obtinenda concipi solent hoc tenore: *Exponunt N. & N. Quod ipsi ab ascientibus se tertio consanguinitatis gradu in vicem esse conjunctos, Orator praedictus, non quidem peccandi data opera, ut crimine admissio, hac causa foret S. V. & Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine victus, Oratricem cognovit. Cum autem Pater Sancte, nisi Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier defamata & innupta remaneret, graviusque exinde scandala possent verosimiliter exoriri, cupiunt &c.*

Tum subjicitur dispositiva supra relata, ac inter alia, diligenter se informet an preces veritate nitantur antequam dispense; insuper addita hac speciali cautione ex ulitato stylo Curiae Romanae: *Et recepto ab eis (Oratoribus)*

juramento, quod sub spe facilius habenda dispensationis incestum hunc (idem est de familiariore & suspecta conversatione) non commiserint.

XII. Quando petitur dispensatio super voto castitatis ad contrahendum Matrimonium, causa frequentius exprimi solet hac formula: *Quod Orator ita stimulis carnis agitur, ut continentiam servare posse non speret; ac propterea Matrimonium contrahere desideret.*

Indubie hac allegata impossibilitas morales servandi castitatem intelligitur ex mente Pontificis, si ea revera perduret, postquam occasione peccandi vitavit; jejunia aliaque corporis afflictiva opera ex praescripto docti ac pii Confessorii, aliaque pro servanda castitate convenientia adhibuit, cum aliis justa dispensationis causa non esset.

XIII. In dispositiva insungit Pontifex Commillario, ut si ei de praemissis constiterit, votum praedictum dicto Oratori, ad hoc "ut Matrimonium SEMEL dumtaxat legitime contrahere possit, in frequentiam Confessionis Sacramentalis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, semel, vel quoties tibi videbitur, ac in alia poenitentia opera per te injungenda, inter quae sint etiam aliqua, quae quotidie facere teneatur, ad eum finem ut ea adimplens, meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animae salutem expedire judicaveris, secumque desuper dictum votum, dispensando, dicta auctoritate commutes.

XIV. Denique additur haec clausula finalis: *Quod si dictus Orator mulieri, cum qua contrahet, supervixerit, maneat postea caelebs, & eodem voto ut prius obligatus.*

Per hac quidem verba clarius declaratur, Oratorem ipsum ex vi hujus dispensationis, non posse nisi semel uxorem ducere; unde si supervixerit, non potest aliam uxorem ducere sine nova dispensatione, uti notat Pyrrus Corradus lib. 8. cap. 10. qui tamen observat, quod si Matrimonium tantum fuerit contractum & non consummatum, dispensatio non videatur habuisse effectum, adeoque possit vigore ejusdem dispensationis aliam uxorem ducere, quia non tam Matrimonialis contractus, quam ipsa consummatio hic attenditur.

CAPUT V.

De Dispensatione super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto.

1. Matrimonio cum impedimento dirimente contracto necessaria dispensatio.
2. Si scienter ita contractum fuerit, id in supplicia exprimi debet.
3. Exprimendum quoque si consummatum fuerit.
4. Omissio solemnitate exprimens est.
5. Etiam si de licentia Ordinarii omissa essent.
6. Consummatio Matrimonii ante detectum impedimentum an exprimens?
7. Perseverantia in usu Matrimonii detecto impedimento specificè exponenda.
8. Causa ordinaria hujus dispensationis cum sua formula; quae tamen semper admittitur.
9. Matrimonium nulliter contractum obtenta dispensatione de novo contrahi debet.
10. Non sufficit si ad interrogationem alicujus se mutuo agnoscant pro conjugibus.

11. Ut de novo contrahatur an utrique parti innotescere debeat Matrimonii invaliditas?
12. Si dispensatio obtenta sit in Dataria Matrimonium de novo contrahendum est coram Parocho & testibus.
13. An idem faciendum si pro foro conscientia damtaxat obtenta sit in Penitentiaris?

I. Inter-



nterdum Matrimonium cum impedimento dirimente de facto quidem, sed nulliter contrahitur; quo casu necessaria est dispensatio, ut Matrimonium sic contractum valideur, & conjuges Matrimonio uti queant.

II. Pro cuius dispensationis praxi sciendum, quod si scienter contraxerint cum impedimento dirimente, illud necessario sit in supplicia exprimens: eo quod scientia difficiliorem reddat dispensationem: imò Synodus Tridentina sess. 24. cap. 5. De Reformat. Matrimonii, vult quod "si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium sic contractum valideur, & conjuges Matrimonio uti queant, nium contrahere praesumplet, separatur & spe dispensationis consequenda careat.

III. Si insuper Matrimonium consummatum fuerit id quoque exprimens erit; quia consummatio Matrimonii dispensationem difficiliorem facit juxta clausulam in Decreto Concilii Tridentini verbis jam citatis subjectam: "Idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit.

IV. Quod si ignoranter cum impedimento dirimente contractum sit Matrimonium, si quidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio, v. g. proclamationes praevias, neglexerit, id omnino erit exprimens: eo quod ratione hujus neglectis, contrahentes spe consequendae dispensationis careere velit Synodus Tridentina; volens eos iisdem poenis subjici, quibus subjectos declaraverat contrahentes scienter cum impedimento dirimente: "Non enim dignus est qui Ecclesiae benignitatem facile experiat, ut, cujus salubria praecpta temere contempsit" ait Synodus Tridentina.

V. Quinimo si delicta Ordinarii sint omisit proclamationes praevias, nihilominus id exprimens: & si non esset expressum, Rescriptum esset subreptitum, idque juxta receptum stylum Curiae Romanae, uti monet Pyrrus Corradus lib. 8. c. 4. num. 3.

VI. Quando etiam ignoranter Matrimonium cum impedimento dirimente contractum est, si consummatum fuerit etiam ante detectum impedimentum, nihilominus consummatio erit exprimens; ita de stylo & praxi receptum ait Corradus lib. 8. c. 4. num. 29.

VII. Detecto impedimento si perstiterint in usu Matrimonii, hoc specificè erit exprimens: quia difficiliorem reddit dispensationem; illa persistentia in actu Matrimoniali post detectum impedimentum insinuante, quod nequaquam alieni fuerint a contrahendo scienter cum impedimento dirimente.

VIII. Causa ordinaria dispensationis super Matrimonio contracto cum impedimento dirimente solet exprimi per hanc formulam: *Cum autem si divorcium inter eos fuerit gravia exinde scandala possint verosimiliter oriri.*

Hanc causam minime sufficientem ad dispensandum eum eis qui scienter contraxerunt & consummarunt Matrimonium cum impedimento in secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu declaravit Paulus IV. dicens: "Absolutiones & dispensationes hujusmodi ex praetextu praedicto" (nimirum quod ex divortio gravia scandala inter eos & eorum consanguineos & affines possent verosimiliter oriri "etiam si proles ex Matrimonio sic contracto sublecuta fuerit, nullatenus, sed solum ex causa urgentissima pro bono publico & a jure considerata, per Nos tantum & non alium approbata concedemus, & quod dispensationes ex alia causa nostris temporibus exulabunt; & quod nobis licere non patimur nostris successoribus indicantes." Exat integra Bulla apud Corradum lib. 8. c. 3. num. 5.

IX. Potestatem autem dispensandi tribuit Pontifex ea cautione, ut Matrimonium inter se de novo publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizaret, & in eo postmodum remanere libere & licite valeant.

Cum enim Matrimonium contractum ratione impedimenti

dirimentis fuerit nullum ac invalidum, necessario debet de novo de utriusque consensu renovari, seu de novo contrahere quod prior contractus nullus fuerit.

X. Hinc consequens est, dispensatione obtenta, non sufficere, quod Parocho interrogante mulierem, num hic sit suus maritus, & virum, num haec sit sua uxor, uterque affirmativè respondeat: quia haec dicendo, non contrahitur de novo Matrimonium; sed potius declaratur, quod sit inter ipsos Matrimonium, atque in eo persistere intendat: praesertim si impedimentum fuerit utrique parti ignotum.

XI. Et quia de novo contrahere debent Matrimonium, necessario utrique parti invaliditas prioris Matrimonii nota sit oportet: alias enim consensus in novum Matrimonium, saltem non ea quae requiritur, libertate habebitur. Facile enim continget, in Matrimonium consentire aliquos, si prius Matrimonium nesciant invalidum; aut etiam tantum de eo dubium esse sciant, qui haud consentirent, si certo scirent Matrimonium esse invalidum. Quapropter si certa sit Matrimonii invaliditas, etiam ut talis utrique conjugum proponenda est, priusquam de novo Matrimonium contrahant.

Vult insuper Pontifex, ut Matrimonium publice & servata forma Concilii Tridentini contrahatur; nimirum coram Parocho & testibus. Et rectè. Cum enim hic agatur de dispensatione pro utroque foro super impedimento non occulto, nisi secundum Matrimonium publice, dicta forma servata iniretur, sed clam inter solos conjuges renovaretur consensus Matrimonialis, incommoda, quibus Synodus Tridentina annullando Matrimonia clandestina occurrere voluit, ex simili Matrimonio clandestinè contracto oriri facile possent.

Primum enim Matrimonium publice contractum probari posset nullum ob impedimentum dirimens; secundum vero probari non posset; utpote, uti supponitur, inter solos contrahentes privatim & occultè contractum: atque ita liberum esset alteri partium convolare ad alias nuptias, non obstante hoc Matrimonio, valide, sed clandestinè contracto; neque etiam per Ecclesiam seu Judicem separari posset, defectu probationis hujus secundi Matrimonii.

Num idem statuendum sit, si impedimentum fuerit tale ut solis contrahentibus innotescat; nec aliis facile innotescere potest, neque in foro exteriori probari; super quo dispensatio petitur; Penitentiaris pro foro conscientiae tantum, capite septimo dicitur.

CAPUT VI.

De Dispensatione in forma pauperum.

1. Dispensationes in forma pauperum sic dicta à paupertate Oratorum.
2. Quomodo hac qualitas in litteris exprimat?
3. Debet esse ex parte utriusque, & testimonio fide digno probari.
4. Formula attestationis super paupertate à Parocho expedienda.
5. Quid circa paupertatem observare debeat Parocho.
6. Quid circa impedimentum quod allegatur?
7. Valde circumspici debent Parocho in danda hac attestatione.
8. Quo tempore paupertas Oratorum verificanda?
9. Ha dispensationes concedi solent ob incestum praevious, aut ejus suspicionem.
10. Si post indictam separationem aut obsecrum Decretum copula intervenerit, novis litteris opus est.
11. Oratoribus ob incestum praevious imponenda poenitentia publica.
12. Qualis debeat esse poenitentia publica?
13. Oratori injungendum ut operam suam in aliquod pium opus conferat.

Uu 2

14. Haec